

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Trinitas f
cum fonte primo

O beata ueritas, caritas, eternitas et
beatificans trinitas! Ad te
me miserabiliter trinitas miserabiliter
suspirat quoniam a te infeliciter
exulat, discedens a te quantis
se interuit erroribus, doloribus,
timoribus. Heu me, qualem pro te
commutauimus trinitatem!

Ratio sepiissime in iudiciis fallitur, ←
et uoluntas quadruplici perturbatione
iactatur, et memoria multiplici obliuione
confunditur. Triplici huic uanitati nobilis
creatura subiecta est.

Cor meum conturbatum est, et inde
dolor; dereliquit me uirtus mea, et
inde pavor; et lumen oculorum
meorum non est mecum, et inde error.

Heu,
quam dissimilem trinitatem! O anime
mee, trinitas exulans offendisti!
Verumptamen,
o
anima mea,

spera in Deo quoniam adhuc
confite illi,
cum uidelicet a ratione error, a uoluntate
dolor, atque a memoria timor omnis
recesserit; et successerit illa quam
speramus mira serenitas, plena suauitas,
eterna securitas. Primum faciet
ueritas Deus, secundum caritas Deus,
tercium summa potestas Deus.

Bernardus super Cantica sermone XI.

Hinc est quod et
→ ratio saepissime in iudiciis fallitur,
et uoluntas quadruplici perturbatione
iactatur, et memoria multiplici obliuione
confunditur. Triplici huic uanitati nobilis
creatura subiecta est
non volens, in spe tamen. Nam qui replet
in bonis desiderium animae, ipse rationi
futurus est plenitudo lucis, ipse uoluntati
multitudo pacis, ipse memoriae
continuatio aeternitatis.
O ueritas, caritas, aeternitas! O beata et
beatificans Trinitas! Ad te
mea misera trinitas miserabiliter
suspirat, quoniam a te infeliciter
exulat. Discedens a te, quantis
se intricavit erroribus, doloribus,
timoribus! Heu me! qualem pro te
commutauimus trinitatem!

COR MEUM CONTURBATUM EST, et inde
dolor; DERELIQUIT ME VIRTUS MEA, et
inde pavor; ET LUMEN OCULORUM
MEORUM NON EST MECUM, et inde error
(Ps. 37:11).

En
quam dissimilem Trinitatem, o animae
meae trinitas, exulans offendisti.
Verumptamen
quare tristis es,
anima mea,
et quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc
confitebor illi,
cum error uidelicet a ratione, a uoluntate
dolor, atque a memoria timor omnis
recesserit, et successerit illa quam
speramus mira serenitas, plena suauitas,
aeterna securitas. Primum illud faciet
ueritas Deus, secundum caritas Deus,
tercium summa potestas Deus,
ut sit Deus omnia in omnibus, ratione
recipiente lucem inextinguibilem,
uoluntate pacem imperturbabilem
consequente, memoria fonti indeficienti
aeternaliter inhaerente.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones*
super Cantica canticorum, 11, 5-6 (SBO
1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M.
Rochais eds., pp.57-8, ll.21-28, 1-13).